



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 47. Nunquam studium orationis omittendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

§. XLVI.

Cur multi ex oratione nihil proficiant.

PAuci sunt, qui ex oratione, & meditatione fructum percipiunt, quia rebus, quas meditantur, contrariam dispositionem, & sensum habent; nec se offerunt Deo tanquam victimam, & holocaustum ad omne ejus beneplacitum perficiendum. Ipsum quidem precantur, ut eos doceat cognoscere & facere voluntatem suam; sed nihilominus contra Dei voluntatem multa operari non cessant, quia duplicis cordis sunt, unum Deo expandunt in oratione; alterum sibi reservant, nec dicunt cum Propheta, *In toto corde meo exquisivi te* (Ps. 118.) Alii spiritu curiositatis & superbiæ impulsu sublimioribus speculationibus occupantur, quæ ad vitia cognoscenda & eradicanda parum vel nihil conferunt, & si aliquando voluntatem excitant ad gemitus & suspiria, ea tamen suavitate statim evanescente impatientes remanent, sui consilii tenaces, refractarii, ac iisdem semper vitiis irretiti. Atque hinc fit, ut repentinæ conversiones ex vehementi commotione provenientes ut plurimum non durent, quia cessante illâ vi, quæ voluntatem quodammodo rapuit, ipsa quoque motio desinit, & homo ad vitia, quibus assuevit, relabitur. Alii instinctu propriæ delectationis ad orationem accedunt tanquam ad fontem suavitatis, non Deum sed se ipsos quærentes, ut spiritualis dulcedinis ubertate reficiantur. Alii orationis emolumentum ex veri & falsi notione metiuntur, & hi omnino sibi imponunt, quia multa discere in oratione & nihil operari magna diaboli deceptio est. Nihil homini prodest oratio, quamvis ad cælum rapiatur, & audiat arcana verba, quæ non licet homini loqui, nisi exuto spiritu mundi sentiat in se augeri promptam erga Deum voluntatem. Bene orat, qui nihil scire, nihil habere desiderat, nisi Christum & hunc crucifixum.

§. XLVII.

Nunquam studium orationis omittendum.

ERROR communis est, meditationem rem difficillimam esse, cum tamen nemo sit, qui non quotidie meditetur. *Quid est enim medita-*

ri, nisi rem aliquam mente revolvere? Hoc autem continuo facimus à mane usque ad vespeream; sed ut plurimum noxia & vana meditamur. Cur igitur mysteria Fidei, & quæ salutis nostræ sunt, non meditamur? His jugiter occupari mens nostra facillimè posset, si eam avertere à rerum terrenarum curis conaremur. Hac de causa ad orationis studium inepti sumus, quia sensibus mori, & Christi crucem atque ignominiam amplecti nolumus. Sæpè etiam orationem omittimus, ut bonis operibus extrinsecus incumbamus, ex quibus nullus vel exiguus provenit fructus, quia lumine destituimur ad bene agendum necessario, quod non nisi in oratione percipitur, & illa peragimus extra ordinem superne gratiæ, nostro potius, quam divino impulsu. Maximus autem error est interiora propter exteriora negligere. Sicut corpus quotidianâ destitutum alimonia paulatim deficit, & perit: ita languet anima, ac veluti exanimis fit, nisi oratione, quæ cibus ipsius est, singulis diebus nutriatur. Cibo autem indiget eò frequentiori, quò plura ac majora habet contraria, quàm corpus. Ipsam enim tum ea omnia per consensum vexant, quæ corpori molesta sunt, frigus, æstus, ægritudo, fames, sitis, & alia ejusdem generis: tum corpus ipsum, & sensus, concupiscentia, dæmon, & mundus. Cum autem oramus, Deum quærere & invocare debemus in penetralibus animæ, in interiori homine, in quo ipse habitat, sicut in templo suo. Quare verba sonantia ad orandum necessaria non sunt, sed in spiritu & veritate Deum orare, & adorare oportet. Conceptis verbis preces effundere illis necesse est, qui nesciunt in abdito mentis cum Deo loqui, & ea quibus indigent proprio sermone exprimere. Publicæ item Ecclesiæ preces voce, & cantu promuntur, ut audiant fideles, & ædificentur, votisque consentientibus eleventur in Deum. Ceterum templum Dei & locus orationis nos ipsi sumus, & regnum Dei intrâ nos est.

§. XLVIII.

Conditiones bonæ Orationis.

UT perfecta sit oratio, quâ aliquid à Deo petimus, debet orans solius Dei amore ad id quod postulat excitari. Quamvis enim res ipsa bona & amabilis sit, tutius tamen & perfectius est eam petere, & amare, quia Deus vult, ne sub velo bonitatis rei, lateat perniciosus